



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 23. Diversorum Regularium sata ob Constitutionem Unigenitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

„hujusmodi penes se habuerint, illa Sæc. XVIII.  
 „statim, atque præsentēs literæ eis A. C. 1727.  
 „innotuerint, locorum Ordinariis, vel  
 „hæreticæ pravitatis inquisitoribus tra-  
 „dere atque consignare teneantur. Hi  
 „vero ea sibi sic tradita illico flammis  
 „aboleri curent.,,

Præter hanc Advocatorum Consul-  
 tationem idem Pontifex die secunda  
 & decima septima Septembris duo alia  
 scripta speciali S. Inquisitionis decreto  
 damnari, & Indici librorum prohibi-  
 torum inferi jussit. Horum primum  
 præfert hunc titulum: *Relatio eorum,*  
*quæ circa Regis declarationem die 4. Au-*  
*gusti 1720. factam quoad conciliationem*  
*Episcoporum in Rothomagensi Parlamento*  
*acta fuere. Alterum vero ita inscribi-*  
*tur: Relatio eorum, quæ tam Romæ,*  
*quam ex parte Cardinalis Noaillii in nego-*  
*tio Constitutionis a tempore electi Bene-*  
*dicti XIII. Papæ gesta fuerunt.*

## §. XXIII.

*Diversorum Regularium fata ob  
 Constitutionem Unigenitus.*

Quanto studio San Marthanus supre- Vid. supra  
 mus Præpositus Congregationis l. 221. p. 219.  
 Benedictinæ S. Mauri Constitutionem tom. 71.  
*Unigenitus* a suis acceptari, ad labora-  
 rit, jam supra meminimus; cum vero  
 non-



Sæc. XVIII. nonnulli adhuc suis appellationibus  
 A. C. 1727 pertinacius insisterent, non modo Or-  
 dinis Superiores, sed ipse etiam Pon-  
 tificex, & Franciæ Episcopi ad frangen-  
 dam eorum duritiem acerbiora adhi-  
 buere remedia: Præprimis Cardinalis  
 Lercarius P. Malouetum Congregatio-  
 nis hujus Procuratorem Generalem  
 ad se accersivit, eique significavit, Pon-  
 tificem omnino velle, ut omnes præ-  
 fatæ Congregationis Monachi intra bi-  
 mestre Constitutionem *Unigenitus* pure  
 & simpliciter reciperent, secus omni-  
 bus privilegiis a S. Sede concessis, &  
 Regja auctoritate firmatis, necnon ce-  
 lebrioribus Monasteriis, ac præcipue  
 Abbatia S. Dionysii spoliandi. Hæc  
 præfatus Procurator iterato ad Fran-  
 ciæ Superiores perscripsit, atque ad  
 avertendum Congregationis excidium  
 nil aptius esse significavit, quam prom-  
 ptam submissionem. His literis ac mi-  
 nis stimulatus P. Thibault neo-electus  
 Generalis unacum P. Priore Cenventus  
 S. Germani Noaillium Cardinalem ac-  
 cessit, supplicans, ut ipse prior scriptum  
 suæ acceptationis testimonium edere,  
 illudque ad Ordinis Superiores trans-  
 mittere velit; certo certius enim, ad-  
 debat ipse. cunctos Monachos ad ejus  
 exemplum parem illico subjectionem  
 testaturos. Nec his contentus Generalis  
 influ-



insuper die septima Januarii hoc anno Sæc. XVIII.  
 omnes Conventuum Priores, Assisten- A. C. 1727.  
 tes ac Visitatores convocavit, eisque  
 gravissima, quæ certo imminerent, mala  
 exposuit, petiitque, ut de opportunis  
 deliberarent remediis. Potissimorum  
 consilium eo abibat, nec Bullæ accep-  
 tationem, nec appellationum revoca-  
 tionem Romam esse mittendam, sed  
 tempus rebus magis propitium esse ex-  
 pectandum, interim vero Bissii Cardi-  
 nalis opem implorandam, ne ipsi hac  
 in re Noaillium Cardinalem, quem fi-  
 deliter secuturi essent, prævenire ju-  
 berentur. Alius vero ex Visitoribus  
 congregatis deliberandum proposuit,  
 utrum præstaret, Congregationem vel  
 aliena vel propria manu destrui, si e-  
 nim, aiebat, Constitutio non accepta-  
 retur, Congregationem per Papam &  
 Regem absdubio destructum iri, si au-  
 tem illa reciperetur, tunc Generalem  
 compulsam iri, ut celebriores Mona-  
 chos in exilium detruderet, eisque in-  
 habiles, rudesque subrogaret, proin-  
 ipsemet Congregationem everteret.  
 Quo hæc spectarent, Generalis haud  
 ignarus respondit, fatalem hunc even-  
 tum esse dubium, nec malum adeo  
 præsentaneum esse, ut ei adhucdum  
 occurri non posset, Pontificis autem  
 Regisque indignationem omnino cer-  
 tam



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.  
 tam esse: hanc igitur, ut declinaret  
 Generalis, Fleurium Cardinalem adiit,  
 pollicitus, quod evulgato mox Noaillii  
 mandato una omnes Constitutionem sint  
 amplexuri, si qui vero adhuc dum per-  
 tinaces fuerint, illos ad pauperrimos  
 Conventus esse relegandos. Hanc con-  
 ditionem gratam habuit Fleurius, qui  
 etiam spondit, se ad Pollignacum  
 & Lercarium Cardinales Romam datu-  
 rum literas, supplices, ut contra Bene-  
 dictinos haud ultra Romæ procederetur.  
 Enimvero Generalis quosdam ex illis,  
 qui ceteris magis obstinati erant, ex  
 Parisina Abbacia in remotiores exulare  
 iussit, atque inter alios Gemmeticien-  
 sis Conventus Procuratorem, & P. Du-  
 retum ob novam operum Tertulliani  
 editionem sat notum ex Abbacia S. Dio-  
 nysii aliorum misit.

Postea idem Generalis Mense Aprilii  
 epistolam, quam P. Antonius Vincen-  
 tius Thuillier scripserat, typis edi-  
 curavit sub hoc titulo: *Epistola veterani  
 Theologicæ Professoris ex Congregatione  
 S. Mauri de suæ appellationis revocatione  
 ad alium ejusdem Congregationis Professo-  
 rem, qui suæ appellationi adhuc insistit:*  
 Hæc vero epistola, utpote rationibus  
 admodum gravis factioni permolesta  
 acciderat, quapropter alius quidam  
 tecto nomine literas edidit, in quibus  
 velut



velut ceterorum ore loquens, palam Sæc. XVIII.  
 protestabatur contra suos Superiores, A. C. 1727.  
 si forte hi Constitutionem recipi jube-  
 rent. Hoc comperto Generalis protin-  
 us encyclicas ad omnes Conventuum  
 Priores dedit, quas ubique prælegi,  
 ac desuper suum a quovis responsum  
 dari postulavit. Verum contra ipsas  
 hæc encyclicas literas nonnulli de-  
 clarabant, quod, quamvis suo Superi-  
 ori obtemperaturi eas prælegissent,  
 hæc tamen Lectio acceptationi nulla-  
 tenus æquivalere, censenda esset. Ut  
 vero paucorum pertinaciam eo prom-  
 ptius frangeret P. Generalis, opitulante  
 Bissio Cardinale, Regis opem implora-  
 bat, ut ipse in proximis comitiis Con-  
 stitutionem a singulis acceptari, Regia  
 auctoritate juberet. Id ipsum quoque  
 Romæ vehementius, quam unquam,  
 urgebat Pontifex, qui die decima quinta  
 Julii P. Procuratori Generali denuncia-  
 bat, quod quidem hucusque specialis  
 sacri Ordinis Patronus, Pater, Pro-  
 tector & Amicus existisset, has autem  
 qualitates exuere, & ea severitate,  
 quam non modo Roma, sed potissimum  
 Francia deposcit, pertinaces plectere  
 ea de causa cogatur, ut expurgato fer-  
 mento Congregatio servetur integra;  
 debitam ergo submissionem erga Con-  
 stitutiones a S. Sede emanatas protinus



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

exhibeant: Ad hæc reposuit Procurator, se haud inficiari posse, quod in Congregatione darentur, qui conscientiae suæ (quamvis erroneæ) dictamine prohibiti Constitutionem acceptare renuerent, horum tamen numerum longe minorem esse, quam ejus inimici divulgassent; plurimos enim Superiores & subditos reperiri, qui plenam erga S. Sedis decreta obedientiam præstarent, ipsum quoque P. Generalem nil intentatum relinquere, ut obsequentium numerus indies augetur, tempore autem & lenitate opus esse; intempestivam enim severitatem nec Regulæ nec menti sancti Patris Benedicti consonam esse, aliunde vero eam apud male persuasos homines plus nocere, quam prodesse; hæc inaudiens Pontifex, indefessos quidem Patris Generalis conatus amplo commendabat elogio, addebat tamen, exin manifeste colligi, vel maxime induratum esse subditorum rebellionem, præcipue cum ex iis nonnulli eidem in faciem restitissent, alii literas perversis suis doctrinis turgidas ad eum dare præsumpissent, alii ex contemptu ei nequidem respon-

*Honorat. a* dere, dignati fuissent, „Hæc, re-  
*S. Maria* „nebat P. Procurator, a paucis quibus-  
*Carm. Disc.* „dam acta fuisse, haud diffiteor, ut ta-  
*Observ.* „men Sanctitas sua de potissimorum  
*dogmat. ad-* „dit. p. 260. „sub-



„subjectione & obedientia certior red- Sæc. XVIII.  
 „datur, porrigo eorum catalogum, A. C. 1727.  
 „spero autem, quod Constitutio in do-  
 „ctrinæ Thomisticæ favorem nuper e-  
 „dita, cum ubique ac omnibus pacem  
 „annuntiet, brevi etiam concordiam  
 „in Congregatione nostra sit restaura-  
 „tura. Plane, inquiebat Pontifex,  
 „Breve nostrum, quod incipit, *dimis-*  
 „*sas preces*, jam satis demonstrabat.  
 „Doctrinam S. Thomæ esse ipsissimam  
 „universæ Ecclesiæ, faxit Deus! ut  
 „per novam declarationem meam tur-  
 „bidi ingenii homines ad saniora redu-  
 „cantur, temporis moram indulgeo;  
 „scio enim, quantam utilitatem studia  
 „ac literarii labores vestrorum Patrum  
 „Ecclesiæ contulerint, nolite ergo me  
 „compellere, ut ipse ad vestrum ex-  
 „cidium concurram: His dictis Pro-  
 „curatorem, data Benedictione Aposto-  
 „lica valere iussit. Verum postea lucu-  
 „lenter patuit, ex his, qui Jansenii er-  
 „roribus infecti credebantur, potissimos  
 „vel male consultos, vel de erroribus,  
 „quos nunquam propugnassent, insimu-  
 „latos fuisse; plusquam enim triginta re-  
 „ligiosi, & postmodum adhuc eorum plu-  
 „res S. Sedi promptissimo animo sese sub-  
 „jecerant, Noaillii exemplo, & P. Con-  
 „radi Prioris ad S. Germanum monitis  
 „potissimum persuasi; quocirca ipsemet



Sæc. XVIII. Pontifex ad præfatum Patrem literas  
 A. C. 1727. dedit, in quibus illum ceu præcipuum  
 conversionis Promotorem deprædi-  
 cabat.

Sub idem ferme tempus Magistro  
 Generali FF. Prædicatorum a Pontifice  
 erat injunctum, ut in eos, qui Bullam  
 acceptare renuerent, confestim judicii  
 acta instrui, eosque e gremio expelli  
 curaret. Pariter Carmelitæ Discal-  
 ceati, etsi hanc Constitutionem jam  
 antea in suis comitiis Provincialibus  
 ubique, ac unanimi voce receperint,  
 specialiter tamen polliciti sunt, quod  
 in nuperis comitiis suis Generalibus  
 sese decreto, quod FF. Prædicatorum  
 Generalis hanc in rem editurus esset,  
 omnino conformare velint. Denique  
 cunctis generoso exemplo præluxit  
 Bonetus Generalis Presbyterorum Mis-  
 sionis, qui in Generalibus Congrega-  
 tionis comitiis sequens decretum com-  
 muni omnium voto edidit: *declaramus,*  
*quod cum profundissima reverentia & per-*  
*fecta cordis & animi submissione nos sub-*  
*jiciamus omnibus Bullis summorum Pon-*  
*tificum, ab ordine Episcopali acceptatis &*  
*promulgatis & quibus favent Regia diplo-*  
*mata, contra librum & doctrinam Jan-*  
*senii editis & speciatim Bullæ sanctæ me-*  
*moræ Clementis XI. quæ incipit: Vineam*  
*Domini &c. & ejus Constitutioni: Uni-*  
 geni-



genitus &c. adeoque rejicimus & condem- Sæc. XVIII.  
namus librum, cui titulus: Reflexiones A. C. 1727.  
morales & CI. Propositiones ab eo ex-  
tractas, eadem forma, & sub eisdem qua-  
lificationibus; quibus eas damnavit sanctæ  
memoriæ Clemens XI. in dicta Constitutione.

## §. XXIV.

*Ernestus Comes de Metternich ad fi-  
dem Catholicam reversus.*

Hoc item anno luculentum veritatis  
testimonium edebatur, quo com-  
probatum fieret, in sola Religione Ca-  
tholica tutissimum esse mori; nullum  
enim reperitur exemplum, quod quis  
in Catholica fide natus, enutritus, at-  
que senescens paucis ante mortem mo-  
mentis, ut secure æternitatis viam in-  
gredi posset, a religione Romano-Apo-  
stolica ad Lutheri vel Calvini sectam  
desecit, quamplurimos autem repe-  
rire est, qui in ejusmodi erroribus oc-  
calluerant, morti tamen appropin-  
quantes Catholicam fidem amplexati  
sint, eoquod salutem suam in gravis-  
simo versari periculo agnoscerent, il-  
ludque haud aliter, quam ejurata secta  
evitari posse crederent. Ita recte sen-  
serat Ernestus Comes de Metternich  
Brandenburgici Electoris ad comitia Le-  
gatus, qui a Friderico Guilielmo Bo-

L 1 4

russicæ